



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum  
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

**Kolb, Gregor**

**Rottwilae, 1725**

**VD18 12054054**

Seculum V.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](#)

Arianorum consortia non vitavit, in hæresin Arianam incidit, condemnatus propterea anno 348. in Synodo Coloniensi, D. Julii Pontificis loco sententiam supremam dicente D. Maximino Archi-Episcopo Trevirensi. Annis 33. sedisse, ad annum 348. fertur. *Vide brevverum & Egidium Gelenium Historicum Coloniens.*

### VIII. D. SEVERINVS.

**D.** Severinus Butdegalæ in Aquitania natus, eodem in Concilio Coloniensi Euphratis loco electus Episcopus, Arianis tanto constantius obstitit, quanto remissius Euphrates. Inter vivos strenue rem agente Severino, beatissimis concessit fatis Turonensem Praeful D. Martinus, cuius animam meritis ditissimam à cœlestibus geniis supra sydera elevari vidit, dum in campo suburbano, quem Martini campus vulgo appellant, ad cœlos levavit oculos. Id etiam notavit antiquitas, & meminit non minus vulgus hodie, hominem solitudini & multis virtutibus assuetum, atque idcirco angelī tutelaris conspectu crebro ad constantiam animatum, id scire desiderasse ardentius, num majorem virtute virum vicinus orbis haberet, ut hunc liceret æmulari sancte & imitari. Adesse in vicinia Severinum reponente cœlesti genio, mox cucurrit æmulus eremicola, conspecturus cominus, qualem se gereret vir major virtute Severinus. At dum corpus reficientem offendit, & ab epulis longè diversa exspectavit, jussus est legere, atque intelligere verba magni Doctoris gentium Pauli Rom. c. 14. qui non manducat, manducantem non judicet; Deus enim illum assumpit. Episcopus fuit an. 60. mort. an. 408.

### SECULUM V.

#### IX. D. EVERGISLVS.

**N**atione Tungrensis D. Evergislus, inter S. Severini discipulos adeò profecit, ut qualem Successorem in Coloniensi

niensi Sede habitura foret post Severinum, hic ipse vates  
jam prædixerit Coloniae suæ. Annis discipulum multis supera-  
vit Magister, an verò & meritis incertum; Animarum namque  
zelo certâsse visus est cum Severino Evergislus; at dum patriam  
Apostolico accensus ardore revisit, haud acceptus in patria Pro-  
phetae, Martyr fundere jussus est sanguinem: unde dyctichon:

Quos patrios Tunger viridi vitaverat ævo,  
Post senior fuso sanguine lavit agros.

Sedit annis 15. aut opinantibus aliis 32.

#### X. SOLANVS.

**A**Liis Solinus aut etiam Aquilinus dictus, nonnullorum Scri-  
ptorum testimonio ille fuit Coloniæ Episcopus, qui D. Ur-  
sulæ & Sodalium Virginum exuvias honorificis recon-  
dedit sepulchris: argumento esse dicunt, quod priori ætate Hun-  
norum nullæ copiæ in Germaniam advenerint, à quibus hunc  
Virginum copiosissimum cætum trucidatum esse ipsis affirmantib-  
us constaret. Verùm his inter dubia relictis, Solanus is erat  
Præsul Coloniæ, qui aspexit urbem suam à Francis sub Childe-  
rico I. Rege expugnari: unde materiem Historiæ abstulit hoc  
quoque tempore bellum: testimonii loco sint versus:

Mutari vidit Regimen Solinus & urbem,  
A Francis subigi flevit Agrippa tuam.

Annos Sedis numeravit 33.

#### XI. SIMONEVS.

**S**imoneus tempore Clodovæi Regis inter Reges Francorum  
primi Christiano nomine insigniti per annos 47. Coloniam  
conservavit: hujus verò laudes sicuti & aliorum Episco-  
porum encomia ferè omnia sepelivit interregnum in Occidentis  
Imperio per annos trecentos perpetuum.

SE-